

Les sources manuscrites de la théorie de la musique  
(S. IX-XVI)

---

Berlin, Staatsbibliothek (D-B)  
Ms. theol. lat. qu. 261, f. 22r-23r  
Transcription : Christian Meyer  
(octobre 2013 – rév. oct. 2016)

22r

<sup>1</sup>Videndum est de clavibus sive licteris in vocibus ponendis in unaquaque clave sive lictera. Et primo de gravibus. Nota quod ·G<a>ma·ut habet unam clavem et unam vocem. ·G· est clavis et *ut* est vox. *Ut* cantatur per b quadratum.

<sup>2</sup>Secunda vox. Nota quod ·A·re habet unam clavem et unam vocem ·A· est clavis et *re* est vox et *re* cantatur per ·b· quadratum ad *ut* de ·gama·ut.

<sup>3</sup>Tertia vox. Nota quod ·b· habet unam clavem et unam vocem. ·b· est clavis et *mi* est vox. *Mi* cantatur per ·b· quadratum ad *ut* de ·gama·ut.

<sup>4</sup>III<sup>a</sup> vox. Nota quod ·C·faut habet unam clavem et duas voces. ·C· est clavis. *Fa ut* sunt due voces. *Fa* canitur per ·b· quadratum ad *ut* de ·gama·ut et *ut* cantatur per naturam ad *ut* suiipsius.

<sup>5</sup>V<sup>a</sup> vox. Nota quod ·D·solre habet unam clavem et duas voces. ·D· est clavis. *Sol re* sunt due voces. *Sol* cantatur per ·b· quadratum de ·gama·ut et *re* cantatur per naturam ad *ut* de ·C·faut.

<sup>6</sup>VI<sup>a</sup> vox. Nota quod ·E·lami habet unam clavem et duas voces. ·E· est clavis. *La mi* sunt due voces. *La* cantatur per ·b· quadratum ad *ut* de ·gama·ut. *Mi* cantatur per naturam ad *ut* de ·C·faut.

<sup>7</sup>VII<sup>a</sup> vox. Nota quod ·F·faut habet unam clavem et duas voces. ·F· est clavis. *Fa ut* sunt due voces. *Fa* cantatur per naturam ad *ut* de ·C·faut. *Ut* cantatur per b molle ad *ut* suiipsius.

<sup>8</sup>VIII<sup>a</sup> vox. Nota quod ·G·solreut habet unam [habet unam] clavem et tres voces. ·G· est clavis. *Sol re ut* sunt tres voces. *Sol*

cantatur per naturam ad *ut* de ·C·faut, et *re* cantatur per ·b· molle ad *ut* de ·F·faut et *ut* cantatur per ·h· quadratum ad *ut* suiipsius.

<sup>9</sup>IX vox. Nota quod ·a·lamire habet unam clavem et tres voces. ·a· est clavis. *La mi re* sunt tres voces. *La* cantatur per naturam ad *ut* de ·C·faut. *Mi* cantatur per b molle ad *ut* de ·F·faut. *Re* cantatur per h quadratum ad *ut* de ·G·solreut.

<sup>10</sup>X vox. Nota quod ·b·fa·h·mi habet duas claves et duas voces. ·b· rotundum et ·h· quadratum sunt due claves. *Fa mi* sunt due voces. *Fa* cantatur per ·b· molle ad *ut* de ·F·faut. *Mi* cantatur per ·h· quadratum ad *ut* de ·G·solreut.

<sup>11</sup>XI vox. Nota quod ·c·solfaut habet unam clavem et tres voces. ·c· est clavis. *Sol fa ut* sunt tres littere. *Sol* cantatur per ·b· molle ad *ut* <de> ·F·faut. *Fa* cantatur per ·h· quadratum ad *ut* de ·G·solreut. *Ut* cantatur per naturam ad *ut* suiipsius.

<sup>12</sup>XII vox. Nota quod ·d·lasolre habet unam clavem et tres voces. ·d· est clavis. *La sol re* sunt tres voces. *La* cantatur per ·b· molle ad *ut* de ·F·faut. *Sol* cantatur per ·h· quadratum ad *ut* de ·G·solreut | et *re* cantatur per naturam ad *ut* de ·c·solfaut.

<sup>13</sup>XIII vox. Nota quod ·e·lami habet unam clavem et duas voces. ·e· est clavis. *La mi* sunt due voces. *La* cantatur per ·h· quadratum ad *ut* de ·G·solreut. *Mi* cantatur per naturam ad *ut* de ·c·solfaut.

<sup>14</sup>XIII vox. Nota quod ·f·faut habet unam clavem et duas voces. ·f· est clavis. *Fa ut* sunt due claves. *Fa* cantatur per naturam ad *ut* de ·c·solfaut et *ut* cantatur per ·b· molle ad *ut* suiipsius.

<sup>17</sup>XV vox. Nota quod ·g·solreut habet unam clavem et tres voces. ·g· est clavis. *Sol re ut* sunt tres voces. *Sol* cantatur per naturam ad *ut* de ·c·solfaut et *re* cantatur per ·b· molle ad *ut* de ·f·faut. *Ut* cantatur per ·h· quadratum ad *ut* de ·g·solreut.

<sup>18</sup>XVI vox. Nota quod ·a·lamire habet unam clavem et tres voces. ·a· est clavis. *La mi re* sunt tres voces. *La* cantatur per naturam ad *ut* de ·c·solfaut. *Mi* cantatur per ·b· molle ad *ut* de ·f·faut. *Re* cantatur per ·h· quadratum ad *ut* de ·g·solreut.

<sup>19</sup>XVII vox. Nota quod ·b·fa·h·mi habet duas claves et duas voces. ·b· <rotun>dum et ·h·<quadra>tum. *Fa mi* sunt due voces.

*Fa* cantatur per ·b· molle ad *ut* de ·F·faut. *Mi* cantatur per ·h· quadratum ad *ut* de ·g·solreut.

<sup>18</sup>XVIII vox. Nota quod ·c·solfa habet unam clavem et duas voces. ·c· est clavis. *Sol fa* sunt due voces. *Sol* cantatur per ·b· molle ad *ut* de ·f·faut et *fa* cantatur per ·h· quadratum ad *ut* de ·g·solreut.

<sup>19</sup>XIX vox. Nota quod ·d·lasol habet unam clavem et duas voces. ·d· est clavis. *La sol* sunt due voces. *La* cantatur per ·b· molle ad *ut* de ·f·faut. *Sol* cantatur per ·h· quadratum ad *ut* de ·g·solreut.

<sup>20</sup>Unde vero cantus tribus modis procedit, cantatur enim par ·h· quadratum, per naturam et per ·b· molle.

<sup>21</sup>Et scias quod sunt VII *ut*, quorum tria cantantur per ·h· quadratum, scilicet ·gama·ut, ·G·solreut grave et ·g·solreut acutum, duo per naturam, scilicet ·C·faut grave et ·c·solfaut acutum, et duo alia cantantur per ·b· molle, scilicet ·F·faut grave et ·f·faut acutum.

<sup>22</sup>De prolongatione cuiuslibet *ut* respectu cuius alie voces dicuntur, [et] est sciendum quod quilibet *ut* protenditur usque ad illam vocem, que dicitur *la*. Verbi gratia VII sunt *ut*. <sup>23</sup>*Ut* de ·gama·ut protenditur usque ad ·E·lami grave et cantatur per ·h·<quadra>tum. <sup>24</sup>*Ut* de ·C·faut grave protenditur usque ad <a>lamire acutum et cantatur per naturam. <sup>25</sup>*Ut* de ·F·faut grave protenditur usque ad ·d·lasolre acutam et cantatur per ·b· molle. <sup>26</sup>*Ut* de ·G·solreut grave protenditur usque ad ·e·lami acutum et cantatur per ·h· quadratum. <sup>27</sup>*Ut* de ·c·solfaut acutum protenditur usque ad ·a·lamire superacutum et cantatur per naturam. <sup>28</sup>*Ut* de ·f·faut acutum protenditur usque ad ·d·lasol superacutum et cantatur per ·b· molle. <sup>29</sup>*Ut* de ·g·solreut acutum non habet suum proprium *la* si protenditur usque ad ·d·lasol superacutum. | <sup>30</sup>Potest tamen sibi dari *la* ut dicitur per gratiam in sua sede que dicitur ·e·la et ut melius haec tibi pateant, videbis per suprascriptam arborem ascendendo a ·gama·ut usque ad ·d·lasol superacutum et, si volueris, descendendo a ·d·lasol superacutam usque ad ·gama·ut.

*D-B Ms. theol. lat. qu. 261, f. 22r-23r*

4

17 ut cantatur] re cantatur *cod.*

21 ·g·solreut] ·c·solreut *cod.*

30 a ·d·lasol ] usque ad ·d·lasol *cod.*